

S. Ioannes Nepomucenus
Confessari, et Eleemosynari, Reginæ Iohannæ

VITA ET MORS DIVI JOANNIS NEPOMUCENI,


Regni Bohemiæ Thaumaturgi, Patroni de famā periclitantium, ex probatis Authoribus ſuccinctè conſcripta, & typis vulgata,

Per


WENCESLAUM ANDREAM MACARIUM DE MERFELITZ,

S.S. Theologiæ Doctorem, S. Metropol: Pragenſ: Eccleſiæ ſancti VITI Mart: Scholaſticum, & Cancellarium, Eccleſtiaſten, & Archi-Epiſcopalis Conſiſtorij Seniorem, Aſſeſſorem, &c.

Permiſſu Superiorum.



PRAGÆ, Typis Univ: Carolo-Ferd, in Collegio Soc: JESU, ad S. Clem: 1684.



Ad Benevolum


LECTOREM.

Beatus Joannes, à Patria cognominatus Nepomocenus vel Nepomucensis, in sancta Metropolit: Prag: Ecclesia Divi Viti M. ab Ipsomet Christo Domino consecrata, humatus, fuit ejusdem S. Ecclesiæ Canonicus & Ecclesiastes, Collegiatæ Regiæ Capellæ in Castro Pragensi ad omnes sanctos Decanus, Joannæ Imperatricis, VVenceslai Regis ac Cæsaris cognomento Pigri, Conjugi à confessionibus & Eleemosinis: Philosophiæ, Theologiæ, Canonum & Decretorum Doctor Eximius, eò quòd ea, quæ pro Sacro Tribunali apud Ipsum Imperatrix pænitens sub sigillo sacramentali deposuerat, nollet ullo modo sacrilego Imperatori nec ante, nec post torturam manifestare, noctu, latenter, ex ponte Prageno in præterlabentem

Muldavam præcipitatus & submersus An: D. 1383. die 16. Maij, in Pervigilio Ascensionis Domini, &c. Ab eo tempore miraculis clarus, continuè absque interruptione colitur cultu publico ab imis & summis, pro Sancto *&* vero Martyre Regni Bohemiæ Thaumaturgo, *nec non* speciali Patrono de fama ac honore periclitantium. *Quæ singula, benevolus Lector, ex sequentibus intelliget.*

Quemadmodum autem, omnia ex probatis & authenticis Authoribus, partim impressis, partim manuscriptis, extraxi, in compendiúmq; succinctum collegi, adeò, ut nihil de meo addiderim; ità pariter, ea omnia, & singula, in sensu ab Urbano VIII. Papa, die 13. Martij An: 1625. emanati Decreti, & postmodum die 5. Julij 1635. confirmati, ac rursus die 5. Julij A. 1641. declarati, accipio, atque accipi volo.

In



N Regno Bohemiæ, Oppido *Nepomuk* nuncupato, magnis decem milliaribus Pragâ, Bavariam versùs, diſtante; ſub *Monte Viridi*, ideo, ſic, dicto, quòd S. Adalbertus, Epiſcopus II. Pragenſis, Româ rediens, eo in loco pluviam deſideratam (quæ univerſæ Bohemiæ per continuos annos ſex & ampliùs de cœlo negata fuit, quàm diu nimirum S. Epiſcopus abfuit) fuſis ad DEUM precibus, ac data S. benedictione impetraverit primúmque hunc montem, deinde totam Bohemiam gratiſſimo herbarum virore recreaverit; à pietate conſpicui conjuges (nomina ipſorum reſciri non poſſunt) uſque ad provectam

ætatem matrimonialiter ſibi cohabitando pervenerunt, nullam tamen prolem, eò quòd eſſent ſteriles, habere potuerunt, demum ad *DEIparam Mariam* factô votò, in ſenectute, filium obtinuerunt, & hunc *Joannem* vocârunt; Quis & quantus puer iſte eſſet futurus, cœlum non celavit: ipſo enim naſcente, videbantur flam̃æ de cœlo deſcendere, quæ innocenti atque amabili luce, gratiſſimô oppidanis ſpectaculô, domum in qua Joannes naſcebatur, circumfuderunt. Vix natus fuit, in gravem febrem incidit: cœleſtem puellum cœlum mundo invidere, vel cœlites in cœlo habere voluiſſe videbantur; Optimi Parentes novô emiſſô votô & oblatis in reliquam ætatem *DEO* & *Ejus Matri* obſequijs impetrârunt, quòd Joañes convaluerit, nullus dubito, Mater Chriſti, quem paulò antè creavit, eumdem etiam recreavit.

Naturam bonam nactus, ut primùm per ætatem loqui potuit, formulam miniſtrandi Miſſæ ſacrificio addidicit, atque

atque motu proprio, cum prima auro ra, ex oppido, ad vicinum Cisterciense Cœnobium, decurrebat, ibidémque in Ecclesia Beatissimæ Virginis MARIÆ, per cujus gratiam, se natum & renatum sciebat, omnibus missam celebrantibus, devotè ministrabat, plusquam *Samuel* hìc est *qui ministrabat ante faciem Domini:* ea præterea futuræ sanctitatis specimina præseferebat, ut facilè quisque, colligere potuerit, quia *magnus coram Domino vocabitur.*

Zatecij absolutis cum laude humanioribus studijs, Pragensem ad Universitatem, non ità pridem à Carolo IV. erectam, se contulit, in hac adeò profecit ut consentientibus votis, Theologiæ, Canonum, & Decretorum Doctor fuerit formatus Eximius. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiã erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates: & qui fecerit & docuerit magnus vocabitur in regno cœlorum, sacræ inquiunt paginæ.* *Omnium* enim inquit S. Dionysius,

norum Divinissimum, est DEO cooperari in salute animarum: ac ut habet V. Beda *quæ gratia sublimior, & DEO gloriosior conversatio esse potest, quàm illius, qui quotidianô exercitiô alios ad Auctoris sui gratiam studet convertere, & crebra animarum acquisitione gaudium Patris cœlestis semper augere? Nullum Omnipotenti DEO tale est sacrificium, quale est zelus animarum, inquit Greg.* hæc attendens *Doctor Joannes* & ratus *se missum propter eos, qui hæreditatem salutis capient,* factus Presbyter, Vetero-Pragæ in Basilica Beatissimæ Virginis MARIÆ ante Lætam Curiam, *vocatus ut Aaron* curam animarum suscepit, semper enitebatur vel maximè Evangeliorum tractatibus, fidei & scientiæ incrementa præstare, ut possent credentes ad repromissum regnum pervenire, hoc ipsius & operis, quotidianum votum, negotiúmque erat. *Conversatio illius quasi in specula posita, erat Magistra publicæ disciplinæ, & exemplum fidelium quod infirmum erat consolidavit, quod ægrotum*

tum erat ſanavit, quod confractum erat alligavit, quod abjectum fuit reduxit, quod perierat quæſivit: lex veritatis fuit in ore ejus, & multos ab iniquitate avertit.

Huic ſervo bono & fideli, quem conſtituit Dominus, ſuper familiam ſuam ut det illis in tempore cibum, imprímis Joannes Imperator, Epiſcopatum Litomiſslenſem tum vacantem, & deinde Wenceslaus IV. Imperator, antequam dumtaxat in profundum malorum veniſſet, Præpoſituram Wiſchehradenſem offerebat. Fuit autem Præpoſiti Wiſchehradenſis dignitas eo tempore par primis; Princeps Regni, & Cancellarius, primus poſt Pragenſem Archi-Epiſcopum Regni Primatem Præpoſitus Wiſchehradenſis habebatur, illius proventus annui ad octuaginta millia florenorum Ungaricorum aſcendebant, quæ ſumma in moneta noſtra alterum tantum conficeret. Verùm Joannis modeſtiſſimi, modeſtia, non potuit expugnari ad admit-

 tendos

tendos eos honores. Vendicavit hunc ſibi, Capella Regia, in Caſtro Prageno ad omnes SS. in Decanum, & ſancta Metropolitana Eccleſia Divi VITI M. in Canonicum ac Eccleſiaſten Eximium. Notandum hìc, qui (*Germ delicium, viridarium & coronam*) verba ſunt Caſpari Dornavij lib. de Princip: Juvent:) Regnum Bohemiæ florentiſſimum, frumenti omnigeni, auri, argenti metalli, piſcium, avium, unionum, margaritarum, omnis denique boni feraciſſimum ſub Carolo IV. verè *Patre Patr* vidiſſet, quemdam Terreſtrē Paradiſum & vicinarum provinciarum horreum ampliſſimum (& propterea ipſarum communiter *Mater* nuncupabatur) vidiſſet. *Terra Boëmorum, terra jucunda, fæcunda & ſana, habet pinguem glebam, ſanam auram, homines fortes & ingenuos. &c. inquit Hilarius Decan⁹ Prag: Bohemia inclytum Regnum quod hominum proceritate ac numero, armorum uſu, divitiarum copiâ & ſplendore, rerumque omnium abundantiâ nulli unquam*

quam cessit Regno quondam: ità testatur Jodocus Dec. lib. 2. de vetust. Polon. Bohemia ad plagam Orientalem juxta Germaniam posita in Europa, quæ à montibus maximis & sylvis densissimis & altis undique circumsepta, à Germania & Pannonia & nationibus aliis per montes sylvas, & flumina est divisa. Est autem Regio montium altitudine in pluribus sui partibus valdè firma. camporum & pratorum planitie conspicua, facie cæli saluberrima, gleba fertilissima, in vineis abundans & annona, in auro, argento, stanno & ceteris metallis ditissima, fontibus & fluviis irrigua; nam terram irrigat Alba fluvius nobilissimus, qui in montibus oritur Boëmorum, similiter & Mulda qui præterfluit Pragam Regiam Civitatem. Hæc terra circuitur ex parte Euri Aquilonaris Poloniâ, ex parte verò meridiei, Austriâ, ex parte Occidentis Bavariâ Germanicâ & Misnensi Marchiâ circumdatur, & ambitur. hucusque scribit Bartholomæus Angl. lib. 15, c. 30. Anno 1492.

Fides Catholica, & Evangelica disciplina in Bohemia hactenus summa veneratione, & excellentissima devotione colebatur, inquit Martinus V. in Ep. ad Bohem: Constantia 8. Calend: April: 1418. *Olim erant tempora felicia in Bohemia, quibus integra & incorrupta fides in Regno vigebat: Religio Christi super cunctos præfulgebat; charitas ubique fervebat, & veritas, & pietas, radios suos undique effundebat, plusquam in modum sponsæ venustissimæ, virtutum candoribus præpollebat, & pietate & honestate Regna reliqua præcellebat. Ità M. Joan: de Przibram apud Cochl. lib. 6.* Hussitar: scribebat circa Anno 1430.

Pius II. Papa in hist. Bohemiæ c. 36. ad Alphonsum Magnum Arragonum Regem de Veteri Boëmia ità scribit. *Nullum ego Regnum ætate nostra in tota Europa tam frequentibus, tam augustis, tam ornatis Templis ditatum fuisse, quã Boëmiam, reor. Templa in cœlum erecta longitudine atque amplitudine mirabili, fornicibus tegebantur lapideis. Altaria*

in

in ſublimi poſita aurô & argentô, quô SS. Reliquiæ tegebantur onuſta, Sacerdotum veſtes margaritis textæ, ornatus omnis dives, pretioſa ſupellex, feneſtræ altæ atque ampliſſimæ conſpicuô vitrô & admirabili opere lucem præbente, neque hæc tantùm in oppidis atque urbibus, ſed in villis quoque admirari licebat. & cap. 38. ait: non ſe aliam provinciam ſcire, quæ plures Chriſti Martyres ijs ſæculis tulerit. *nec, meâ ſententiâ,* verba ſunt ejuſdem, *Regnum ullum eſt, in quo ævo noſtro tot mutationes, tot bella, tot ſtrages, tot miracula emerſerint quot Bohemia nobis oſtendit.*

Idem Pius II. in literis Apoſtolicis 17. Julij An: 1463. datis ità habet: *in illo inclyto Bohemiæ Regno hæretici magnos motus excitârunt, &c. Proceres tamen & Nobiles in ipſo Regno, & Civitates pleræque ſanctiſſimè in fide permanſerunt; ità ut, quamvìs Armata hæreſis, fidelibus vim facere ſtatuiſſet, atque adversùs eos arma moviſſet, nunquam tamen ab Evangelij veritate, ſanctorúmque*

Patrum doctrina & Romanæ Ecclesiæ obedientia divelli potuerint, potiùs occumbere, ac omnibus tormentorum generibus affici, quàm illorum insaniæ consentire voluissent, ità ut, multos Martyres nostra ætas in Bohemia (Nuntius in ea erat Apostolicus) *viderit.*

De Pragensis Metrop: Ecclesiæ, Prælatis & Canonicis, ceterisque Ministris sequentibus scribit: *prælati, Canonici, ceterique Ecclesiæ Metrop: Prag: Ministri, totô illô* (Wiclefistarum & Hussitarum) *annorum quatuordecim spatiô, quô Regnum Boëmiæ cujusvis etiam sceleratissimi injuriјs expositum, dirô atque atroci flagrabat bellô, multique pessimo servilique genere ac fece hominum collecti, ideóque licentiâ effrenes palàm in sacra & profana sæviebant impunè cuncta rapinis, ferrô & igne permiscentes, nuspiam in patria tuti, sed per varia dispersi, casibus & infortuniјs multis jactati, exules, egentes, vagi, calamitates & miserias ingentes pertulerunt, imô pro sanctissima Religione fidéque Catholica multi*

ca multi, ferrô concîdi, flammis extingui atque alijs tormentis crudeliter ſe trucidari permiſerunt.

Regni hujus Triurbs Pragena, Metropolis habetur, in hac Caput & Mater reliquarum Eccleſiarum, eſt Divi M. VITI *ſancta Eccleſia* An: D. 935. â ſancto Martyre Wenceslao Bohemiæ I. Rege fundata, à Boleslao Pio in Cathedralem ſublimata, â Spitihnevo II. ampliata, â Borzivvoio II. ampliſſimô Lætæ Curiæ teloniô alijſque redditibus annuis dotata; â Wladislao & Ottogaris Regibus maximis gratijs, privilegijs, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus prærogativis munita; â Carolo IV. unicè amata, in Metropolitanam evecta, innumeris, rariſſimis, pretioſiſſimis, ſanctiſſimíſque Reliquijs (quas Rex pijſſimus, de civitate in civitaté, de monaſterio ad monaſterium, de Regno in Regnum pergendo, diligentiſſimè conquiſivit & impetravit) exornata; ab eodem, Regiâ ſanè magnificentiâ in eum ſplendorem, in quô illam

illam hodiéque ſpectamus, unà cum duodecim in circuitu adjectis ſacellis, deducta, novíſque Canonicis ac Miniſtris, proventibus, bonis, ditionibus, ab omni poteſtate, juriſdictione, foróq; laico, in perpetuum exemptis, cumulata, adeò ut illius, unus Archi-Epiſcopus, quotannis centum aureorum millia, & tantundem Capitulum cum ceteris Eccleſiæ Miniſtris perciperet: à Ferdinando I. poſt incendium Anni 1541. reſtaurata; à Ferdinando II. è poteſtate hæreticorum erepta, & quoad omnia privilegia confirmata; à Ferdinando III. Amantiſſimo ejuſdem Eccleſiæ Cultore, (niſi mors, nunquam ſatis deploranda, ipſum ſicuti & ipſius optimæ ſpei Filium, Ferd: IV. heu nimis citò abſtuliſſet) inſtauranda. Exſtat antiquum vaticinium, Authore Libelli *De judicio gravi à domo DEI*; editi, typis Univerſit: Prag: illum Principem, Eccleſiam S. Sophiæ Conſtantinopoli recuperaturum & Orientis Imperium Occidentali adjuncturum, qui Prage-

nam

nam Ecclesiam splendori suo est restiturus: vaticinium hoc, utinam in August: LEOPOLDO impleatur! quo facto, implebuntur, cùm Ferdinandi II. Avi, tum etiam Ferdinandi I. Abavi ejusdem, piè cogitata. (Hi enim ambo sacratissimi ac simul pientissimi, & Ecclesiæ amantissimi Imperatores postliminiò Ecclesiam sanctam pristino splendori restituere cogitabant) & demum ad æternam gloriam applaudetur: *plùs quàm Salomon est* LEOPOLDUS, anagramaticè, *pello duos.*

Erant autem olim penes hanc Ecclesiam Divi Viti, Archi-Episcopus, 4. Prælati, Præpositus, Decanus, Archidiaconus, Scholasticus simul & Cancellarius Capituli, Canonici 36. Custos Tumbarius S. Wenceslai, Subtumbarius ejusdem; Tumbarius S. Adalberti & Subtumbarius Sacristanus, Vicarij Prælatorum & Canonicorum 34. Altaristæ 52 Director fabricæ, Divisores 2. inspector bonorum Capitulariũ, quæ amplissima erant, Conciona-

tores

tores 2. Boëmicus & Germanicus, Pœnitentiarij 4. Præcentor, Mansionarij 24. quorum 12. Presbyteri, Diaconi 6. Subdiaconi 6. Psalteristæ 24. Hebdomadarij 4. ultra & extranumerarij Presbyteri, qui absentium vices supplebant 24. Choralictæ 30. omnes Clerici, Bonifantes, qui horas B. V. M. cantabant 12. Præfectus Bonifantum. Matronæ honestæ, quæ pallas & albas dissolutas consuebant, & lavabant, Ecclesiam purgabant, infirmis deserviebant & Divinis interesse semper debebant 12. Rectores bonorum capitularium 4. & Vicarij illorum 4. Capellarij 4. Ministrantes 2. Organista cum famulo, Thuroferarij 2. Ceroferarij & Versiculantes 4. Campanatores 2. & Socij ipsorum, Scholares 12. Magister in Theologia, Magister scholæ, Cantor scholæ, Cãtores & Musici quàm plurimi, Syndicus Capituli & Notarius publicus, Cursores 2. Per recensitos Ecclesiæ Ministros, diu noctúque, continuè in Ecclesia Laudes DEO decantabantur, exindéque patet quan-

quanta Majeſtas, gloria, & decus fu e-rit hujus Eccleſiæ Metropolitanæ quæ à Divinis gratijs miraculis, prodigijs, re-velationibus, viſionibus, Viris Eccleſia-ſticis, vitæ integritate & ſanctimonia, e-tiam martyriô claris, multitudine pe-regrinorum ad honorandas SS. Reli-quias tam copiosè affluentium, ut quan-dóque unica die centum millia nume-rarentur, eſt illuſtriſſima etiamnum, proptereáque ab immemorabili tem-pore, *ſancta* Eccleſia nuncupatur: Hanc ipſemet Chriſtus Domin⁹ benedicere & conſecrare dignatus eſt, & erga ipſam DEUS Specialem amorem oſtendit; dum toto illo infandæ hæreſeos tem-pore, nimirum ab Anno Chriſti mille-ſimo quadringenteſimo decimo, ad uſque Annum 1620. per Boëmiam regnantis, imò veriùs ſævientis & o-mnia ſúſque déque miſcentis, reſiduáſ-que temporum injurias, illam & illius ſacrum ſanctorum Pignorum Theſau-rum *penè integrum*, auro, argento ac gemmis, quibus à Carolo IV. exorna-

tus

tus fuit,ſed ſub Sigiſmundo expoliatus; exceptis; ad noſtra uſque tempora conſervavit in ipſiúſque ſacrilegos profanatores non ſemel ſeveriſſimè animadvertit;propterea abijt poſtea apud Pragenſes in proverbium: *qui Templum S. Viti deſtruit, facilè ſibi viam ad infernum ſtruit.*

Hujus ſanctæ Eccleſiæ Archi-Epiſcopus eſt S. R. I. Princeps, Regni Primas, S. Sedis Apoſtolicæ Legatus natus, Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ Prag. perpetuus Cancellarius,&c. Capituli, ſicuti & ejuſdem Eccleſiæ Metrop: Prag: *privilegia omnia & ſingula; gratias, libertates, immunitates, ſtatuta, bona & poſſeſſiones, indulta & jura univerſa*, à Prædeceſſoribus ſuis Bohemiæ Regibus & Ducibus conceſſa, ratificavit, approbavit, innovavit, & confirmavit, de dato Viennæ An: 1626. Calend: Aprilis Ferd: II. In ſtatutis verò Capituli,*ſub titulo: De poteſtate Capituli Prag: in Elect:* formalia & expreſſa habentur ſequentia: *profitemur enim, quòd*

Eccleſia

Ecclesiâ Pragensi, destitutâ Pastore, sicut etiam Prælaturis de Capitulo, videlicet: Præpositurâ, Decanatu, Archidiaconatu Pragensi, ac Scholasteria vacantibus, Capitulum possit, liberè, eligere, de Ecclesia, vel extrà, Personas idoneas, quas honori & utilitati Ecclesiæ, meliùs noverit profuturas, quæ Prælaturis præficiantur jam dictis. Eligit etiam Capitulum ipsum, personas idoneas in Canonicos ad præbendas vacantes, Confert Officia omnia & Altaria in Ecclesia, &c. Idem Capitulum Metropolitanum decoratũ existit titulô *Fidelis Capituli*, ob rationẽ, quia DEO, Ecclesiæ, S. Sedi Apostolicæ, legitimis Principibus, Bohemiæ Regibus, Imperatoribus, atque Patriæ, in omnibus semper constantissimè fidem integerrimè servavit: *non civium ardor prava jubentium, non vultus instantis tyranni* (hæresis) nec bonorum direptiones, exilia, probra aliáque millena incomoda & persecutionum procellæ, nec vincula, carceres, mortes denique apud cordatos, & in Apostolicæ confessionis
Petra

Petra ſolidatos quidpiam valuêre. Omnes in candore Religionis Catholicæ, Sedis Apoſtolicæ obſervantia, & ſuorum quoque fide integerrima Regum, Cæſarum, veluti Marpeſia cautes imoti perſtiterunt Capitulares, rémque Catholicam, ne ab impia hæreſi penitùs extirparetur, Pragæ, & per Regnum, ſede Archi-Epiſcopali per centũ & penè quadraginta annos vacante, & per Capitulum, ſeu Capitulares adminiſtratâ ſingulari animorum fortitudine & pietate conſervaverunt, & deinceps ex exilijs per Ferdinandum II. obtentâ in albo monte, die 10. Novembris An: 1620. de Rebellibus hæreticis memorabili & verè miraculoſa victoria, revocati, omnibus modis promoverunt.

Propterea Alex: II Innoc: III. Honorius II. Greg: IX. Clemens VI. Urbanus V. Bonifacius IX. Martinus V. Caliſtus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innoc: VIII. Leo X. Clemens VIII. alijque ſummi Pontifices. Idem Capitulum ſpecialibus gratijs quàm plurimis exornârunt.

Bulla Urbani V. de Indulgentia Apoſtolica conceſſit, quando Archi-Epiſcopus celebrat, ſive in Pragenſi Eccleſia, ſive in alijs ſuæ juriſdictioni, etiam quà Legato Nato ſubjectis, quòd duo Canonici, in officijs, Diaconatûs & Subdiaconatûs concelebrantes, infulis albis uti poſſint. Et alia, quando Decanus Pragenſis Eccleſiæ vel Canonicus quiſcunque Miſſam celebrat in eadem Eccleſia, quòd tam celebrans quàm Miniſtri duo concelebrantes, Diaconus nempe & Subdiaconatus Canonici, quoque uti poſſint, hujuſmodi infulis albis. Bulla Bonficacij IX. quòd Prælati & Canonici Eccleſiæ Pragenſis, omnes & ſinguli, in Majoribus & qatronorum Eccleſiæ ſuæ feſtivitatibus, dum miſſam celebrant, mitris Pontificalibus gemmatis, & aurifriſatis uti poſſint. & infrà:

Bulla Sixti IV. quòd Prælati Eccleſiæ (in Statutis Capituli, Columnæ Eccleſiæ nuncupantur) nempe, Præpoſitus, Decanus Archidiaconus, Scholaſticus

ſticus (qui ſimul eſt Cancellarius) ubique, per Diœceſim Pragenſem, & alibi ſalutatô loci Ordinariô, in Miſſarum, & aliorum Divinorum Officiorum ſolennijs, Mitrâ, Annulô, Baculô & alijs Pontificalibus inſignijs uti poſſint, ídque perpetuis futuris temporibus. Alia Ejuſdem; ut dicti Prælati Calices, & patenas conſecrare, campanáſq; benedicere poſſint ad decennium.

Alia: Ut poſt Miſſæ ſacrificium, etiamſi pontificalibus non utantur propter miniſtrorum defectum, ſolennem benedictionem populo præſenti impertiri tam Prælati quàm Canonici poſſint &c &c. complures alias prærogativas & gratias Capitulo diverſis temporibus collatas brevitatis cauſâ non recenſeo. Indulgentias plurimas plenarias etiam per modum Jubilæi, ſibi conceſſas, habet hæc ſancta Eccleſia.

Verùm ex ſuis ampliſſimis ditionibus & bonis terreſtribus, annuis redditibus, quibus per impiam hæreſim injurioſiſſimè exuta & ſpoliata eſt, uſq; modò

dò vix umbram recuperavit; hinc Ecclesia pauper, quæ, quondam centenis Ministris (diurnum & nocturnum chorum habentibus) decorata, erat hodie solummodo gaudet Celsissimo & Reverendissimo Archi-Episcopo, Prælatis 4. Canonicis 4. Parocho seu Sacristano 1. Vicaristis 4. Altaristis 7. Musicis 26. Choralistis 6. Capellarijs 2. Syndico 1. Capitaneo 1. Notario 1. Ministro 1. Bonifantibus 6. Cursore, &c. Prælati & Canonici, ipsimet per se, & non per Vicarios, semper, Boëmicè, & Germanicè, concionantur, reliquásque functiones (sunt autem plurimæ & frequentissimæ) persolvunt. Recensiti pauculi Ecclesiæ Ministri, & ipsa etiam Ecclesia sancta, habent & venerantur Benefactores *Augustissimos*, *Serenissimos*, *Eminentissimos*, *Celsissimos*, *Excellentissimos Reverendissimos*, *Illustrissimos*, quorum omniũ, memoria est in benedictione, inter hos, suam specialem fundationem habent, Familia Martinicziana, Waldsteiniana, Lobkovi-

cziana; Berkiana, Wrzezoweczziana, Sternberkiana, Wratislaviana, Kolowratiana, Czerniniana, Rziczaniana; Antonius & Martinus Archi-Epiſcopi Prag: Henricus Scribonius, Georgius Pontanus, Joannes Raſch, Præpoſiti Prag: Andreas Kocker, Caſparus Arſenius, Martinus Pfeiffer / Sebaſtianus Zbraslawski Decani Prag: Bartholomæus Flaxius, Joannes Przeſticzki, Georgius Kleblot, Michaël Cruſius, Archidiaconi Prag:

Joannes Zak, Wenceslaus Fremberg, Daniel Naſtaupil, Wenceslaus Wikroczil, Wenceslaus à Kumberg, Canonici Prag: Wenceslaus Franc: Cœleſtinus à Blumenberg, Præpoſitus Prag: ſanctam Annam & SS. Patronos Eccleſiæ Prag: Hæredes nominavit, fundavit duos Choraliſtas & quavis hebdomadâ unum legendum, Die verò S. Annæ cantandum ſacrum.

Thomas Peſſina à Czechorod Epiſcopus Samandrienſis & Decanus Prag: per ultimam voluntatem ſanctam Prag: Eccle-

Ecclesiã Hæredem instituit, legavit PP. Ord: Eremitarum S. Pauli primi (quos in Regnum Boëmiæ induxit) bonum pretij viginti millium flor: & totam suam Bibliothecam, ac præterea in parata moneta decem millia florenorum. In Ecclesia Metrop: Prag: fundavit duos Altaristas & Anniversarium. Residuum suæ substantiæ, solutis Legatis, in Ornatus Ecclesiæ, & SS. Reliquiarum, convertendum, ordinavit.

Josephus Macarius de Mersfelitz SS. Theologiæ & J.U. Doctor, Comes Palatinus, Eminentissimi Cardinalis ab Harrach, Archi-Episcopi Prag: Vicarius Generalis in spiritualibus & Officialis, in Castro Prag: ad omnes Sanctos & S. Viti Decanus, Lissovio oriundus, magnus Patruus meus, universam suam substantiam, quam DEUS ipsi benedixit, per ultimam voluntatem de An: D. 1633. die 11. Aprilis, ad pias causas destinavit, constituit Novæ-Domi duplicem fundationem, unam pro loci Præposito, alteram pro suis amicis,

& ipſis deficientibus, Patriotis Liſſovienſibus, ut unus ex illis continuè, in Seminario Novæ-Domi victum & amictum habeat, & ſtudeat. Alia ipſius fundatio extat Liſſovij, alia Boëm: Budvicij, alia in Caſtro-Prag: ad S. Georgium; alia ad omnes Sanctos ibidem. In Metrop: Prag: Eccleſia fundavit octo Muſicos, *qui diebus ferialibus ſcholas PP. Soc: frequentare, & ad ſacros ordines, ſive quò ipſos boni mores & pietas vocaverint, promoveri poſſint.* Fundavit etiam Anniverſarium & miſſæ ſacrificia per annum perpetuò celebranda: de ipſius relicta ſubſtantia Eccleſia Metrop: Prag: habet quatuordecim millia & quingentos florenos, ex quibus fundati ab ipſo muſici ſolvuntur; reſiduis currentibus cenſibus, Fabrica Eccleſiæ & alij Eccleſiæ Miniſtri ac pauperes gaudent. Ex memoratarum fundationum, & Eccleſiæ pecuniis, Capitulum, pro meliori illarum ſecuritate, emit bonum, *ſuperius Leſſan & Brezan* nuncupatum.

Atque

Atque hæc attigiſſe ſufficiat: ad S. Joannem Nepomuc: revertor, hic factus ſæpe memoratæ ſanctæ Eccleſiæ Metrop: Canonicus & Eccleſiaſtes, vitam integerrimam & verè Apoſtolicam vixit, atque Verbum Domini fortiter prædicavit, Vir potens opere & ſermone, Doctrinæ quoddam Oraculum, ac virtutum Exemplar habebatur, eo docente & ducente populus, non tam paſſibus quàm volatibus, ad ſummum virtutum apicem ferebatur. *Hunc* Regina & Imperatrix Joanna in Arbitrum conſcientiæ ſeu Confeſſarium delegit ibátque ſub eo de virtute in virtutem: è contra Maritus illius Wenceslaus Rex IV. Caroli IV. degener filius, ſe ipſo pejor evadebat, ac in omne libidinis & crudelitatis ſcelus, ſceleratus præceps ruebat.

Ipſum optima Imperatrix, ſalutaribus precibus & monitis ad meliorem frugem reducere conabatur, propterea ſum̃um odium incurrit apud ipſum quærebátque magicis philtris infaſci-

natus Tyrannus innocentem Imperatricem, mortis ream invenire, in eámque ſævire.

Et quia ipſius omnium Arcanorum unicum Arbitrum *Joannem*, Rex noverat, ex illo reſcire volebat, unde deinde Reginam morti traderet, aut in ipſam ſævire poſſet.

Itaque die S. Sigiſmundi M. An: D. 1383. Joañem ad ſe vocat, & ad revelanda Confeſſionis ſacroſancta ſecreta ſacrilegè ſolicitat. Sed *Joannes*, licet etiam *vox clamantis* fuerit, nihil tamen minùs, quàm hic clamare, novit; coluit deſertum in aula, ut nec Regi quæſitus reſponderet, à ſecretis Reginæ Cancellarius, cancellos non eſt tranſgreſſus ſacramenti: in vita difficillimũ eſſe tacere, quæ dicenda non ſunt, dicit Ariſtoteles. Silentiarius Joannes nuſpiam rectiùs locutus eſt, quàm dum ordinatè tacuit.

Sed Regis præceps cupiditas, ſumptô à violentia conſiliô, tormentis arietat obfirmatum viri pectus: dum preces corru-

corruerunt; ideo Confeſſarium, in ultimum carcerem detrudit, & ſqualore, loci horrore, triſtiſſimis tenebris, & fame ſitíque penè enecat, ac dein in cataſta crudeliſſimè extendi nec non admotis facibus torqueri facit, adſtans Tyrannus Rex, ſe auditurum ſperabat quæ nuſpiã audire ex *Joanne* potuerat; ſed ſpes illum fefellit, Joannes enim velut Marpeſia cautes conſtans, ſilentiô vias cordis, ut *non delinqueret in lingua ſua*, nec ulla clavis tormentorum, cordis Nepomuceni fores potuit aperire;

Sic deluſus Tyrannus abit furibundus, carnifices toti laſſi, ex cataſta Joannem deponunt,& Regem quaſi nihil mali egiſſent,ſequuntur. Joannes verò cœleſti conſolatione recreatus, & cœlitus vulneribus, quæ ipſi tormenta fecerant, ſanatis, quaſi nihil unquam paſſus fuiſſet, ad ſuam ſtationem revertitur, maximóque ſpiritûs ardore Miniſterium implet, non multò pòſt, pro concione uſus ſcripturæ verbis *modicum videbitis me, jam non multa loquar*

vobis. ſpiritu prophetico martyrium ſuum, factáque ſemel oraculis viâ, defluentibus ubertim lacrymis, hæreſim ab inferis in Regnum Bohemiæ inferendam, clades, calamitates, excidia, & vix non interitum Catholicorum; demum omnium peſſima quæque prout poſtea evenerunt, prædicebat; ſícque omnibus cùm ad ſtuporem & admirationem in re tam nova, magno Auditorum luctu valedixiſſet, peregrinatus eſt Vetero-Boleslaviam ad antiquiſſimam totius Boëmiæ à miraculis clariſſimam Beatiſſimæ Virginis Effigiem, quam Slavicæ gentis Apoſtoli, Cyrillus & Methodius ex Oriente in Boëmiam intulerunt, & S. Wenceslaüs, quoad vixit, ſpecialter voluit.

Huic Thaumaturgæ V. M. ſe, & ſuum in ſpiritu prævíſum Agonem devotiſſimè commendavit, inde, horis veſpertinis Pragam redeuntem, Rex, jam dæmonem ſpirans, ſibi è veſtigio per carnifices ſiſti facit, & irâ præcipiti, ait *Sacerdos, moriendum tibi eſt, niſi jam ſtatim*

tim hìc conjugis meæ confeſſionem, & quidquid illa tibi unquam confitens dixit, ordine exponas, juro DEUM, aquam bibes! reſtitit conſtantiſſimè conſtantiſſimus JOANNES Tyranni impietati, paratus milliesmori, quàm vel in minimo peccare: propterea Tyrannus eadem nocte, id eſt Anno Domini 1383. die Maij in pervigilio Aſcenſionis Domini Joannem ex Ponte Pragenſi per carnifices curat in flumen Moldavam præcipitári; ubi modò ſuper columna S. Martyris Effigies aliquot millíum, ex auricalcho virilis ſtaturæ artificiosè & pretiosè collocata à prætereuntibus devotè colitur, ad fluvium Moldavam damnatus eſt, homo minimè loquax, qui in fundo animi demerſit Arcana, infundum demerſus eſt aquarum, Divinus Harpocrates. Reverentiam quam non habuit Sacerdos apud Regem, hanc apud piſces invenit Martyr; vocales illi, ad innocentiam Joannis per naturæ injuriam, flammas ejaculantur, quibus & Principis ple-

ſcij Aulici, & ſatellites, carnifices denique, totam ſeriem facti ordine expoſuerunt.

Prælati & Canonici ubi ſuper facto informati fuerunt, adornata ſupplicatione, Martyris S. Corpus, levârunt, & ad proximam Religioſorum de pœnitentia Eccleſiam S. Crucis, tantiſper depoſuerunt, dum glorioſius ſepulchrum in illorum Metropolitana Eccleſia pararetur.

Non fuit hæc fraterna pietas abſque præmio: dum enim tumulum (in quo S. Corpus uſque modò inviolatum requieſcit) effodiunt, Theſaurum, & multa auri argentíque talenta & aliarum rerum pretia, reperiunt. dum hæc aguntur, innumera vis hominum ad depoſitum Martyris corpus, turmatim affluebat; quæ non ceſſavit, illius conſtantiam laudare, fortitudinem deprædicare, manus pedéſque, oſculari, corpus reverenter attingere, *Beatum*, *Sanctum*, *Martyrem* appellare, invocare, atque ipſius precibus ſeſe comendare.

rationem cum ostenderetur, ægri plurimi, contactu sacri corporis, sunt sanati. humatum demùm est cum lacrymis, pauperes præcipuè, quorum erat Pater, planxerunt: grandis lapis superinjectus cùm inscriptione usque modò legibili:

Honorabilis Dominus Magister Joannes Nepomucenus, hujus Ecclesiæ Canonicus, Reginæ Confessarius, quia sacrosancti Confessionis sigilli Custos usque ad mortem fuit, à Wenceslao IV. Bohemiæ Rege, Caroli IV. filio, tormentis tentatus, ex ponte in Moldavam præcipitatus, miraculis clarus, hìc jacet sepultus. A. 1383.

Etsi hujus B. Viri memoria neque sacrificiô, neque Divinô officiô (quod absque sedis Apostolicæ Authoritate fieri nequit) honoretur, reliqua tamen omnia quibus sancti coluntur adhunc Tumulum adhibentur: itaque, quoties ad salutandos sanctos Bohemiæ Patronos, *Cyrillum Methudium*, *Vitum*, *Wenceslaum*, *Adalbertum*, *Sigismundum*, *Georgium*, *Procopium*, *Cosmam & Damianum*, *Benedictum cum Fra-*

tribus, *Joanne*, *Matthæo*, *Isaac*, *atque Christino*; *Norbertum*, *Josephum*, *Ludmillam* in Metropolitanam Ecclesiam, Proceres, Nobiles, Sacerdotes, Prælati, Canonici, Religiosi, Matronæ, verbô minimi maximique, conveniunt, & B. Joannis Tumulum honorare nunquam omittunt; hic in genua provoluti, supplicant, preces ad eum fundunt, ejúsque opem implorant: suspensæ sunt ibidem Tabellæ, Latino, Bohemico, Germanico idiomate orationes, exhibentes, cum titulo: *ad S. Joannem Nepomucenum*, eas populus devotè recitare consvevit. Pendent hinc atque indè, sicut & in alijs Ecclesijs & domibus intra & extra Pragam, *B. Joannis Nepomuceni Imagines radiatæ*, pendent & varia Anathemata, quorum plurima hæresis calvinistica sustulit, & ignis absumpsit; Lampadésque multæ & pretiosæ, cerea luminaria & faces, earum quædam humani corporis magnitudinem æquant, propè quotidiana devotorum hominum liberalitas accendit sem-

ſempérq; novæ & novæ apponuntur, ab ijs præſertim, qui ſe ad hunc Tumulũ cœleſte aliquod beneficium accepiſſe lætantur.

Tot autem ac tanta B. Joannis interventu cœlitus ſunt impetrata hìc beneficia, ut jam pridem ex ijs annotatis juſtus liber fuerit confectus, adeò ut quibuſdam ipſa fides & in ſanctum ſyncerus amor, profuerit: nam, cùm alia deeſſent, ex ſepulchrali lapide abraſum modicè pulverem valuiſſe ad curatos diverſos morbos, læti ſenſerunt; propterea *ſanctus Joannes hic & Matyr Thaumaturgus Bohemiæ, & ejus Tumulus mirabilis,* meruit nuncupari. Librum autem memoratum hæreſis ſubtraxit.

Præcipuus verò Patronus & Tutator eorum eſt, qui cum infamia confli-ctantur, & nè aliquod eorum ſcelus propaletur timent; occurrit horum famæ mirabiliter, factúmque non modò abſcondit, ſed etiam linguis hominum aliàs læſos in integrum reſtituit, ſuccur-

rit

rit etiam ijs qui peccata ſua confiteri verecundantur, plurimi enim confeſſi ſunt, quòd ad hujus tumulum orantes, ſenſerint ſe audaciam quandam conſecutos, quâ deinde omnia, audacter in Tribunali ſacro, ſacerdoti aperuerunt.

Tumulus iſte, verè *Thaumaturgus & Mirabilis* duplici ordine ferrearum cratium eſt permunitus, non tantùm ad majorem honorem Sancti, ſed etiam nè tam facilè temerè ab impijs calcari poſſit: eniinverò publicum & notorium habetur, quoties quis eum calcavit, pœnam DEI & dedecus manifeſtum non evitavit, hinc majorem & *honorem* & *horrorem* meretur. In his cratibus legitur eadem inſcriptio quæ in lapide ſepulchrali.

Supra hunc Tumulum, altum ſtat Candelabrum ex Orichalco, *Candelabrum S. Joannis* vocatur: hujus Pes ex quo ſit metallo non conſtat; eſt artificioſiſſimis puellorum ſeſe implicantium ſtatuis plenus, is ex Salomonis templo Hiero-

Hierosolymitano Mediolanum venit, postea capta urbe, Fridericus Barbarossa Cæsar illum Wladislao Regi donavit. Qui tandem ipsum, circa Annum 1160. in formam Candelabri adaptavit, & sepulchro S. Joannis Nepomuceni transcripsit. hoc candelabrum Serenissimus Archi-Dux Leopoldus Ferdinandi III. Cæsaris Frater, sibi ornandum sumpsit, & statuas, SS. Bohemiæ Patronorum, suo quemque in habitu (quos inter B. Joannes spectatur) itidem ex aurichalco, apponi curavit, supernè in orbem quasi in Corona stantium, gratiosô spectaculô artificiosè perfectas.

Hoc dũ op⁹ sacrilegi quidã intuerentur, et aurum esse crederent, defractam S. Joannis statuam, quæ ceteris formosior videbatur, rapuêre; magnam illis sacrilegium attulit curam, quippe diu noctúque mens intemperijs laniabatur, ut nec somnũ capere, nec quietem ullam habere possent, usquedum statuam ad suum locum retulerunt, & ad sa-

crum

crum pœnitentiæ Tribunal advoluti rem omnem ritè confessi justam pœnitentiam egerunt: eodem modo, & alij, qui Mirabilem hunc Tumulum inhonorârunt, condignas pœnas luerunt.

Ad huuc S. Tumulum habetur gazophylacium, in quod devotus populus æra mittere consvevit, hoc sacrilegi sæpius violare, & evacuare attentabant, at irrito semper conatu: vel enim sacro quodam horrore sunt imperfecto opere repulsi, vel certò in flagranti deprehensi, & insigniter confusi, ac præter vindictam nihil aliud reportârunt.

Anno 1588 cùm Radzivilius Princeps, Regis & Reipublicæ Polonæ nomine, solennem Legationem apud Cæsarem Rudolphum II. obiret, accesserat Pragam *Magnificus* Dominus Christophorus Slucka Palatinus Vendensis, is aliquando Metropolitanam Ecclesiam Pragensem ingressus; posteaquam omnia curiosis oculis lustrâsset, ad sepulchrum S. Joannis adducitur, narrat *Palatino* is, qui ducebat; *Mirabilem*

hunc

hunc esse *Tumulum*; nam quisquis, illum calcâsset, eo die pœnam non effugere: risit Palatinus levem, ùt putabat, sacerdotum credulitatem, & confestim pede *Tumulũ* pressit: at, extemplo sibi frontem percuti & mentem turbari sensit in ea turbatione Templo egreditur, equum & Currum adducunt famuli (numerosô enim satellitiô Vir valde potens cingebatur) Equum primò petit, sistitur; ipseDominus, quasi intemperijs ageretur, difficulter evadit in equum, at equus neque stimulo, neque hortatu ullo moveri locô potuit: cogitur igitur equo descendere & currum conscendere. Sed iterum nulla vi, quidquid agerent aurigæ, equos impellere potuerunt; denique pudore confusus Palatinus, spectante & ridente *Cæsaris aulâ*, ex arce, egregiè confusus, pedes ad hospitium redire debuit. Huic simile quid inveniet Lector in vita Vene: P. Adalberti Chanowsky, cap. 1.

Longè gravior pœna secuta est Calvinum hominem, Wenceslaum de

Raupo-

Raupowa : is à Germanis Turinno & Hoheloio, Comitib⁹, Tolſio itẽ, novis, tunc Boëmiæ incolis proximæ rebellionis fædo inceptu ac fædiore exitu motæ incentor, ideóque à Friderico Palatino, poſteaRegni Boëmiæ Cancellarius conſtitutus; cùm aliquando in Metropolitana Eccleſia Anno 1619. velut in profana domo cum pluribus, inambularet, veniens ad S. Joannis tumulum, recurrit homini, de hoc, vetus traditio, ſed hanc tanquam Catholicorum ſtultitiam deridens, Tumulum quem parte una dejectis cratibus pervium fecerunt hæretici, contemptibiliter calcat, dum poſtea templô egreditur, in ipſo limine, anhelans famulus, ad Dominum accurrit cum triſti nuntio, filium, quem habebat unicum, modò, eodem nempe temporis articulo, quò S. Joannem dehonoravit, eſſe mortuum; ipſemet poſtmodum Raupowa, dum in rabiem actus homines ſtrictô ferrô inſectatus eſt, miſerè periit. ità nimirum DEUS contemptum ſervi ſui vindicavit.

In il-

In illo, quod modò dixeram, hæreticorum regno, post An. 1619. cùm Calviniani Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis partem posteriorem occupâssent, habebant præ oculis SS. Patronorum Bohemiæ Corpora, & ferebant placidè, unius B. Joannis tumulum videre non poterant; sed locum insigniter tutatus est: neque modò, crates circa Tumulum tollere, sed ipsum S. Martyris Corpus exhumare & in communem locum abjicere constituunt; vix sacrilegium tentârant, ùt crates ferreas convellere cœperant, cùm, ecce duo subitò in terram corruunt, alter semianimis ægre vitam, nec nisi dum culpam agnovisset suam, recepit; alter, qui erat Epheborum Friderici Præceptor, natione Anglus, exanimis penè & vix spirans è templo, sociorum manibus elatus, miserabiliter interijt; cæteri omnes, periculô & damnô cautiores opus imperfectum reliquerunt, Tragica res hæc quæ accidit post Dom. 4. Adventûs feriâ, 2dâ, die 23. Decembris, paucis post rem ge-
stam

ſtam annis, juſſu Ferdinandi II. & Erneſti ab Harrach Archi-Epiſcopi Prag: ante B. Joannis Nepomuc: ſepulchrum teſſellato opere, pereleganter, in ligno expreſſa, hodiéque cum Peregrinorum admiratione ſpectatur.

Recenſet, præter alios, hoc triſte miraculum Carolus Caraffa, ſub id tempus, aut non multò pòſt apud Ferd. II. Nuntius Apoſtolicus, ac demum Cardinalis, qui in ſuis commentarijs de Germania reſtaurata parte 1. inter alia memoratu digniſſima, etiam iſtud refert pag. 104;

Qualis fuerit ſtatus Religionis Catholicæ, Pragæ & Regni Bohemiæ nondum partâ victoriâ, ſub dominatu Calviniſtico & Lutherano, quilibet poterit cogitare. Nam Eccleſiaſtici honore & opibus fuerant exuti, bona Eccleſiaſtica ad-empta, Templa, Monaſteria, Altaria profanata, Parochi Catholici ejecti, intruſi hæretici, Catholici Pragæ exiſtentes ad abjurandam fidem Orthodoxam, damnandum ſacrum Concilium Tridentinum,

num, omnia decreta Pontificum spernenda, minis fallacijs, præstigijs fuerant adacti: Ecclesia Metropolitana Mater Ecclesiarum Regni Bohemiæ, die S. Andreæ Anni 1619. omni cultu sacrarum imaginum spoliata, & hæreticorum turpitudine fuit conspurcata, in ea nostri Vindicis è Cruce pendentis Imago Religiosissima in partes dissecta, sanctorum figuræ foras ejectæ, confractæ, & igne combustæ, sanctorum Reliquiæ Altaribus eversis, pedibus conculcatæ, sursum deorsúmq; omnia sacra distracta fuerunt: non reticebo tamen (& hoc à pluribus fide dignis oretenus habui) quod DEUS in ipsamet tantorum sacrilegiorum impia perpetratione ad confusionem hæreticorum, & confirmationem Catholicorum, clarissima suæ vindictæ signa monstrârit, nam quendam hæreticum in contemptum Catholicorum in Cathedra Ecclesiæ Metropolitanæ saltantem in terram dejiciens, cruráque ei perfringens lucis usurâ privavit; Alterum etiam ejusdem farinæ hominem, supra sepulchrum Sancti Joannis Marty-

ris

ris Canonici Pragensis, in contemptum Divorum saltare incipientem statim tam vehementi pedum dolore punivit. ut inde extractus, infrà horam miserrimè occubuerit : sepulchri Viri sancti violatoribus Divina Nemesis mirabilem & manifestam vindictam ostendit.

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Eodem Anno, tam malè apud sepulchrum B. Joannis accepti (quàm diu Pragensi Ecclesia sunt usi;) Tumulum ipsum totum præstigias, nescio quas, in ipso latére causati, asseribus & tabulis quibusdam clausêre hæretici, nè ullô modô posset adiri, obturbare illos, dum ad cœnam sedent in templo, B. Joannes videbatur, & velut mortualis umbra, odiosus, & non vocatus intervenire convivijs. Porrò Ecclesiæ Metropolitanæ profanationem, & stantem in loco sancto abominationem ex vero suo tumulo B. Joannes significabat, siquidem imminente illa ab hæreticis calamitate sæpius noctu gemitus & lacrymo-

crymosæ quædam voces ab imo templi audiebantur. Custodes, gemitus istos studiosè secuti animadverterunt non semel ex, tumulo B. Joannis exire: nimirum dolebat (quantum Beati dolere possunt) dilectam Ecclesiam tot sacrilegijs profanadam, quæ ex quo à S Wenceslao erat fundata, & ab ipsomet Christo Domino consecrata (nè quidem Hussi aut postea Rokiczanæ temporibus) hæreticorum sacris inquinata fuisset.

Sed plures sacri illius tumuli prærogativæ possunt adferri: nam alijs quoque temporibus Ecclesiæ Metropolitanæ excubitores, amabili luce cingi & coruscare Tumulum, aliaque ad ipsum plurima mira miranda fieri viderunt; quare populi in eum veneratio ità crevit, ut tametsi à sede Apostolica (cujus solius est de vera Viri hujus sanctitate sinè periculo erroris decernere, nulla accesserit Authoritas, tantæque ab hæresi plusquam per tria sæcula intercurrerint in Bohemia tenebræ, pro *sancto* ta-

men & vero *Martyre* ſit ſemper habitus cultu publico.

Ferdinandus I. Imperator quoties Metrop: Prag: Eccleſiam adibat, ante tumulum S. Joannis genua ponebat idem faciebat Ferd: II. & III. poſtremus hic cum Erneſto Cardinale ab Harrach, ſæpiùs de S. Joannis canoniſmo procurando conſilium habuit, ſed piam Optimi Cæſaris mentem, bella primùm, deinde mors abrupit. Rudolphus II. Imp. quandocunq; ad Eccleſiam venit, ſex, quandoq; etiam plures de cera candelas adhunc tumulum accendebat, & preces fundebat Imagines æri inciſæ habentur in manibus, in his, Joanni, Titulus tribuitur, *Beati*, *Sancti*, *Martyris*, & capitis apex ardet cœleſti lumine circumfuſus.

In ſacrario, S. Eccleſiæ Metropolitanæ, Ara quædam eſt, ſuper eam depictæ Imagines SS. Patronorum, pictura centum octoginta annos excedit, inter has ſanctorum Imagines, Joannes Nepomucenus, ſtans, palmam tenet manibus, & caput habet radijs illuſtre, ne-

ve quis

ve quis dubitet, quem artifex depinxerit, & Capitulares depingi fecerint, additus est, trabalibus literis titulus antiquissima manu *S. Joannes Nepomucenus* Similis pictura, adhuc ante annum in Ecclesia S. Georgij sanctimonialium sancti Benedicti in Castro Pragensi spectabatur, quæ in nupera renovatione Ecclesiæ, calce est obducta.

Ex antiquis scriptorum monumentis etiam colligitur, quòd continuè à tempore sui obitûs Joannes hic etiam ab ipsis Loci *Ordinarijs & Cardinalibus* titulum habuerit *Beati, Sancti, Martyris*;

S. Joannes Nepomuc: in Capella S. Clementis Papæ & M: è regione sui sepulchri, habet ab immemorabili tempore suo honori dicatum *Altare*, supra quod frequentissima & plurima missæ sacrificia celebrantur. Quod postquam Anno D. 1619. Iconoclastæ unà cum tota Ecclesia profanârunt, denuò illud consecravit Anno D: 1621. die 16. Julij Joannes hujus nominis III. Archi-Episcopus Pragensis in honorem, ut ha-

bet Tabella, *Visitationis B. V. M. ac SS. VV. & MM. Luciæ & Ottiliæ, nec non S. Clementis Pontificis & M. & B. Joannis Nepomuceni.*

Nepomuci, ex ea domo, in qua Joannes natus eſt, Oppidanorum pietas *ſacellum*, B. Joannis honori, ſtatim ab ejus morte excitavit: tradunt veteres memoriæ, in ea domo neminem nocturnam quietem capere potuiſſe, donec ea domus in ſacrarium verteretur: ſacellum hoc, vetuſtate labaſcens, totum dirui juſſit, & in eodem loco, novam, eamque perelegantem Eccleſiam ejuſdem *B. Joannis Honori*, exſtruxit Illuſtriſſimus Dominus Franciſcus de Sternberg Nepomuci Dominus, ſupremus Regni Bohemiæ Judex; benedici Eccleſiam hanc curavit Erneſtus ab Harrach Archi-Epiſcopus Prag: & Cardinalis, cùm ipſemet per morbum venire & conſecrare non poſſet, ſæpius deinde in ipſa miſſam habuit, & facta approbavit.

In Altari ſummo hujus Templi B. Joannis imago radiata à ſummo Pictore, Scretâ, picta colitur, frequentatur multis ſupplicationibus, Parochi, à multis paſſuum millibus, prout ante hac, à tempore immemorabili fiebat, etiamnum ad hanc Eccleſiam certò die populum adducunt, ſacra, de SS. Trinitate, ſed conciones de S. Ioanne Nepomuceno habentur.

Circa Aram ſpectantur appenſa Anathemata plurima: fatentur diverſi, ſe ejus meritis varia beneficia cœlitus impetrâſſe. Pro comperto eſt, ſi campi illorum ſiccitate laborant, ſupplicatione unâ alteráve ad hanc Eccleſiam ductâ, pluviam impetrari.

In Peſte, quæ Bohemiam An: 1649. pervagata eſt, & graviſſimè afflixit, omnes, qui ſeſe, Nepomuci, B. Joanni commendârant, periculo ſunt erepti. alibi quoque per Boëmiam creſcit in dies magis magíſque honor & cultus B. Joannis.

Et quamvis imperiti quidam, & in

religione nimiùm timidi cautíque, Religionis prætextu, cultum B. Joannis impedire aliquando tentârint, populus tamen de constantia justæ pietatis, amoveri non potuit: de ejusmodi vetusta Religione & cultu Beatorum antiquo, optimè dixit Vir in gestis Divorum describendis diligentissimus, & rerum talium peritissimus, Godefridus Henschenius, *Venerationi Divorum*, inquit, *à tempore, memoriam unius sæculi, excedente* Urbanus VIII. Pontifex *nihil voluit derogatum, prout* idipsum Ipsemet declaravit Pontifex, Ss. 4. inquit: *declarantes, quòd per superscripta (nè inducantur novi cultus Beatorum vel Sanctorum) præjudicare in aliquo non volumus ijs, qui, aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis usum, aut per Patrum virorúmque SS. scripta, vel longissimi Temporis scientiâ ac tolerantiâ sedis Apostolicæ, vel Ordinarij, coluntur.*

Eapropter cùm per *immemorabilem temporis usum, & longissimi tempo-*

ris

ris ſcientìâ ac tolerantiâ, imò & approbationem Ordinarij, *ſanctus Hic Joannes Nepomucenus*, pro *Sancto*, & *vero Martyre* publico cultu colatur, apparet, Bullam Urbani VIII. huic cultui minimè refragari. Noverunt id Nuntij Apoſtolici, inter quos relatus eſt Carolus Caraffa, Cardinales itèm Cleſelius Epiſcop: Vienn: Franciſcus à Dietrichſtein, Cardinalis & Epiſcopus Olomuc: Erneſtus Cardinalis ab Harrach, Archi-Epiſcopus Prag: Carolus Frater Wladislai Regis Poloniæ, Epiſcopus Wratislavienſis, & plurimi alij: Hi omnes & plurimi alij etiam poſt emanatam dictam Bullam Urbani VIII. *Joannem Nepomucenum* tanquam verè *ſanctum Martyrem* devotè coluerunt.

Et revera, obſervatione dignum videtur, quòd, tametſi â Sede Apoſtolica (cujus ſolius eſt, de vera viri hujus ſanctitate ſine periculo erroris decernere, nulla acceſſerit expreſſa Authoritas, tantæque per tria ſæcula & amplius ab hæreſi, intercurrerint in Bohemia tenebræ,

nebræ, hic tamen cultus publicus, & continus nuſpiam fuerit interruptus.

Matrona Illuſtris (nomini illius parcitur) cùm aliquando de Sanctis in *ſanctâ Metropolitana Eccleſia conditis* mentio fieret, & aliquis domeſticorum, *B. Joannem Nepomucenum* nominâſſet, illa indignans ſuperciliô ſublatô, *quem*, inquit, tu mihi *B. Joannem Nepomucenum* nominas? nihil de illo Roma ſcit! colitur ille perperam à rudibus, neque venerationem hanc meretur: nam ſi ſanctus eſſet, pridem eum Pontifices in Sanctorum numerum retuliſſent. Poſt dies aliquot, eadem matrona, cùm in Templo nihil jam de B. Joanne cogitans, orat, reperit in libello ſuo B. Joannis Effigiem capite radiato, in habitu Canonicali venuſtiſſimâ, quam antè nunquam viderat: paulò pòſt cùm in ſcriniolo ſuo aliquid quærit, alia item ejuſdem Beati Effigies quaſi ſponte venit in manum; ea res, ità tenerum Matronæ animum vulneravit, ut ſtatim in lacrymas ſoluta, *B. Joannem Nepo-*

muce-

mucenum inclamaret: die altero ad Metropolitanam Ecclesiam profecta, confessione peccatorum præmissa, Divinam Eucharistiam sumpsit, & sepulchro B. Joannis advoluta, audaciæ veniam postulavit.

Religiosus quidam in disceptatione cum socio, negabat ritè fieri, quòd B. Joannes â populo coleretur; addebat cum stomacho quodam, malè agere eos qui, cùm facilè possent, cultum hominis non impedirent: eadem die, insolitò artuum tremore concutitur, &, in morbum incidit, neque dolor, neque tremor cessavit, donec æger, B. Joañem, contritus deprecatus esset, honorâssetque: rem, ùt erat gesta, Vir Religiosus ipse, ad perpetuam rei memoriam, scriptô testimoniô consignavit.

Brevitatis causâ, plurima similia exempla prætereo; unde apparet, quàm periculosum sit Cultum Divi Joannis controvertere, cujus *Testimonia credibilia facta sunt nimis.*

Sequi-

Sequitur Oratio quàm ab immemorabili tempore populus orare consvevit & diverso idiomate, impressam habet.

SAncte Joannes Martyr ac Patrone, Nepomuci in Regno Bohemiæ oriunde, Templi S. Viti, in Arce Pragensi Canonice, eò quòd ad instantiam Wenceslai IV. Regis (ulcisci se de Conjuge, sæpe illum de vitæ corrigenda monente, volentis) ante & post torturam, Confessionem Austgustæ propalare recusâsti, in flumen Moldavam, ex ponte præcipitatus, à luminibus noctu, supra flumen, ubi corpus tuum jacuit, apparentibus, certissimis tuæ innocentiæ & sanctitatis testibus, ostensus, solenniter ab universo clero ac populo, ad Cathedrale Templum deportatus fuisti, ubi usque hodie qui tuum sepulchrum dehonorant, vulgi infamiam effugere non solent.

ſolent. Tu ergo admirandam, inauditam, ac ſempiternam memoriam ſecreti Exomologeſeos, poſt te reliquiſti, per hæc tua merita & dona divinitus tibi conceſſa, precamur ſuppliciter ac fiducialiter, ut ira ejus conquieſcat, peccatorum pœnas, utì, peſtem, bellum, famem aliáſque, tam corporis, quàm animæ plagas clementer avertat, & ut nos ante obitum confiteri, pro peccatis ſatisfacere, omne periculum & ſæculi dedecus, hominum ſcandalum effugere, DEO placere, adhærere, vitam laudabiliter concludere, & ad vitam æternam pervenire poſſimus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Alia brevior.

OMNIPOTENS & miſericors DEUS, concede propitius, ut qui in merita Divi JOANNIS Nepo-

Nepomuceni confidimus, ejus potenti intercessione, ex omni infamia & confusione publica, tam temporali quàm æterna, hujus & alterius vitæ, & vel maximè, ex imminenti tali NN. per pijssimam misericordiā tuam eruamur: Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui nos redemit, per infamem mortem crucis, & qui tecum gloriosus vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti, Consolatoris mœstorum, DEUS, nunc & in æternum Amen.

A.M.D.G.

Et

S. Joannis Nepomuceni honorem.